

sam ad ipsam naturam futuri eventus, ut futuri, quia potius indeterminationem habet de se ad fore, vel non fore, neque ad causas creatas, quia omnes non sufficiunt tollere infallibiliter contingentiam, et indeterminationem causæ liberæ. Neque ad infinitatem divini intellectus, quia æque bene poterat oppositum intelligere si ad oppositum veritas illa determinaretur, de se enim intellectus solum est ratio intelligendi elicitive, et ut principium eliciens, non ut ratio formalis objectiva, seu medium intelligendi, quod ex parte objecti debet assignari: intellectus enim divinus suo lumine infinito intelligit res ut sunt in se. Unde si in se non sint determinatæ veritatis, sed contingentis sic debet intelligere, alias falso intelligeret. Unde infinitas luminis non confert, sed supponit rationes formales et determinativas veritatis ex parte objecti.

XV. Dico ultimo: Deus non cognoscit decretum suum liberum ut futurum pro quocumque signo, vel prioritatem in qua consideretur. Est contra p. Suarez libro de scientia Dei, cap. viii, n. vi et alios qui existimant Deum comprehendendo suam essentiam pro illo priori, quo nondum intelligitur actus liber, comprehendere etiam suam liberam voluntatem, et videre quid sit volitura in sequenti signo rationis. Et sic ad modum futuri videt decretum suum, licet in re nunquam sit futurum, quia in re non datur successio, sed omnimoda indivisibilitas durationis. Sed quia illud decretum pro illo signo nondum intelligitur ut præsens, sed ut potens esse, intelligitur ad modum futuri.

XVI. Cæterum hoc neque juvat sententiam horum auctorum de cognitione futuri creati ante decretum Dei, neque est verum, istamque futuritionem etiam rejiciunt alii

auctores ejusdem familiæ, Vasquez, Becanus, Granados, Herice, et alii quos citat, et sequitur p. Alarcon de scientia Dei, tract. ii, disp. iii, cap. i, num. viii et x. Non juvat, quia pro illo signo quo dicitur nondum videri ut præsens suum decretum, sed ad modum futuri, etiam nondum videbit actus liberos creatos, ut determinate futuros, nisi dependenter a decreto suo, quod tunc videt ut futurum, quia ab illo dependet actus liberi creati, et quæcumque contingentia, ergo per hoc, quod dicitur Deum cognoscere decretum suum ut futurum, nihil de difficultate prædicta elevatur. Non est etiam verum, quia licet a nobis distinguantur prioritates seu signa rationis in Deo, non tamen Deus ipse sic distinguit, qui non format distinctionem rationis inter actus suos, vel attributa. Et licet nos distinguamus prioritates istas, et signa, nunquam tamen sub ratione futuritionis illa distinguere possumus, nec cum fundamento in re ponere, quod una prioritas respiciat aliquam posterioritatem in Deo ad modum futuri, multo autem minus quod Deus ipse, qui has distinctiones non format, aliquid sui per modum futuri videat, et per modum successionis. Et ratio est, quia tum alias etiam pro illa prioritatem, in qua intelligitur Pater constitui, et nondum intelligitur generare, intelligeret Filium ut futurum, quia nondum intelligitur ut præsens, quia non ut genitus, et sic intelligeretur in Trinitate prius, et posterius in duratione, quod admitti non potest; eadem autem est ratio de Filio seu Spiritu Sancto producendo pro illo primo signo rationis, et de actu libero ut habendo, et quod sufficit ad futuritionem hujus, etiam ad futuritionem illius. Tum etiam quia nec ratione nostra possumus intra Deum fingere prioritates in quo,

quæ explicant prius, et post duratione, sed solum prioritates a quo, quæ explicant connexionem unius cum alio, vel rationem unius erga aliud; nam prioritates in quo omnino repugnant in Deo cum illo infinito esse, et actu puro, in quo nihil potest intelligi sub non esse, seu sub expectatione, et transitu ad esse, quod tamen includitur in præciso conceptu futuri, repugnat autem aliquid quod est actus purus, et ipsum esse a se, concipere sub non esse, vel expectatione, aut transitu ad esse, si quidem est ipsum esse, ergo implicat quod aliquod decretum Dei consideretur, vel a nobis ut futurum, id est, ut nondum habens esse, sed ut habiturum; hoc enim est de conceptu futuri, si quidem conceptus et prioritas futuri est conceptus durationis, futuritio enim duratio est, ergo prioritas futuritionis non potest non esse prioritas durationis et in quo, et hoc contradicit conceptui ipsius esse a se. Quare pro illo signo rationis, quo intelligitur comprehendi a Deo divina essentia, non intelligitur decretum Dei ad modum futuri, tum quia comprehensio in illo priori signo, si vera comprehensio est, omnia involvit secum, et non relinquit aliquid cognoscendum pro alio posteriori, tum quia illa prioritas solum est rationis seu prioritas a quo, non durationis, et in quo, et sic nihil de futuritione in ea relucet. Et instatur hoc in ipsis Personis producentibus, quæ pro nullo priori intelliguntur ut futuræ, licet nondum intelligatur pro aliquo priori originis Filius ut genitus, vel Spiritus Sanctus ut spiratus.

XVII. Ex his colliges quomodo verum sit quod S. Thomas dixit in hac quæstione, art. viii ad i, explicans dictum Origenis: « Quod non propterea aliquid erit quia Deus scit futurum, » quod D. Thomas explicat

de scientia nude considerata ut non habet rationem causalitatis ex adjuncta voluntate. Quando vero dicit, præscire Deum aliqua, quia sunt futura, intelligitur secundum rationem consequentiæ, sequitur enim si aliqua sunt futura, quod Deus ea præscit, non tamen secundum rationem essendi, quia res futuræ non sunt causa quod Deus ea sciat. Hæc enim doctrina ex dictis optime explicatur, quia scilicet posito decreto, seu voluntate Dei, illa est causa quod res sit futura, et quod cognoscatur a Deo ut futura, quia sic scientia cum decreto habet rationem causalitatis, ut aliquid sit futurum. Non tamen intelligi potest, quod futurum ante omnem voluntatem Dei sit causa, ut sciatur a Deo tamquam futurum, quia nihil est futurum determinate ante causalitatem voluntatis Dei. Quam tamen doctrinam S. Thomæ non possunt sustinere qui ponunt futura esse determinata ante omnem voluntatem Dei, et ideo præsciri a Deo, quia sunt futura, seu supponuntur futura.

ARTICULUS III.

Solvuntur argumenta opposita.

I. Primo, arguitur ad probandum quod futura contingentia habent ex se determinatam veritatem, et quod ista regulatur penes eventum qui in tempore determinate succedet, non penes causas futuritionis, quæ contingentes, et indeterminatæ sunt. Nam propositio de futuro, v. g. Petrus cras ambulabit (supposito quod ita postea succedat ut eventus probat) habet suam de inesse veritatem determinatam, ergo et ipsa de futuro eandem veritatem habet. Antecedens supponitur, quia loquimur de futuris absolutis quæ determinate evenient, et sic supposito eventu

loquimur de illis: propositio autem de inesse, est illa quæ ipsum eventum significat quando est de præsentia, ergo futura absoluta habent suam de inesse veritatem. Consequentia vero probatur, quia veritas modalium regulatur per suam de inesse, et ad illam reducitur ut dicunt dialectici, ergo similiter propositiones de futuro et præterito ad suam de inesse sunt reducibiles, et per illam regulabiles, sicut illa propositio de præterito est vera, de qua fuit aliquando verum dicere, nunc est; et illa de futuro est vera, de qua aliquando erit verum dicere, nunc est. Ergo sicut quando est de præsentia, determinate est vera, ita qui ante instans, vel horam, vel diem, aut annum, vel quodcumque tempus pronuntiaret de illa ipsum fore, seu eventum ipsum qui postea accidit, pronuntiabit verum determinate, quia conformatur suæ de inesse, et adæquatur ei quod determinate erit in re, ergo determinatam veritatem pronuntiat. Confirmatur, quia antequam res accidat possunt fieri duæ contradictoriæ, v. g. Petrus peccabit: Petrus non peccabit, sed non potest etiam pro hoc instanti in quo sunt futuræ utraque esse simul vera, ergo determinate est vera, quia si solum una est vera, non est veritas nisi in una; ergo determinata veritas est, licet nos nesciamus quæ sit.

II. Respondetur esse indubitabile quod propositiones modales, et de præterito, et futuro regulantur per suas de inesse, et ad illas reducuntur, ita quod veritatem quam habent quæcumque illa sit, sive determinata, sive indeterminata, dependet necessario a verificatione suæ de inesse, nec enim verificari poterit illa de præterito, vel futuro, nisi sua de inesse verificetur pro tempore quo illi convenit esse præsen-

tem, et si nunquam habeat præsentiam verificatam, nec etiam verificabitur illa de præterito, aut futuro. Cæterum non sequitur quod si illa de inesse quando est præsens est determinate vera, quia jam est extra causas, etiam sua de futuro sit determinate vera quando futurum est contingens, alioquin etiam probaretur, quod quia res jam existens de præsentia caret contingentia, quia jam de facto est extra causas, etiam dum est futura carebit contingentia, et sic non dabitur aliquod futurum contingens. Signum ergo est, quod licet veritas hujus regulatur, et dependeat ab altero, id est, a veritate suæ de inesse, tamen modus, seu status, unius veritatis et alterius longe diversus est. Nec distingui debet inter contingentiam, et indifferentiam, seu indeterminationem, ut aliqui faciunt, quia contingens dicitur aliquid ex causa indifferenti ad utrumlibet in actu primo, et antequam de facto producat, ergo antequam effectus producat, ex eadem parte, ex qua habet contingentiam, habet indeterminationem, scilicet ex causis, extra causas autem nondum aliquid habet, vel si aliquid habet determinate, ibi amittet contingentiam ubi habet determinationem, si enim ex suppositione est vera determinate, ex eadem erit vera non contingenter, aut si contingenter habet veritatem etiam indeterminate ad utrumlibet, sic enim definitur contingens quod est indifferens ad utrumlibet, seu potest esse, aut non esse. Quare stat bene, quod veritas futuri dependeat a sua de inesse, ita ut futurum nunquam sit verum, si sua de inesse non ponatur, non tamen eodem modo est vera sua de inesse, et sua de futuro; sed illa de inesse determinate, quia jam est in se extra causas, utpote præsens, illa vero de futuro indeterminate, quia sumitur futuritio a

sua de inesse non absolute, ut in se, sed ut intra causas, sic enim est futura, in quantum habet in causis inclinationem, ut sit, et est futura contingenter, in quantum habet in causis inclinationem indifferentem, et indeterminatam ad utrumlibet. Et hæc est solutio D. Thomæ i periher. lect. xiv, ex philosopho ubi concedit quod quando res est præsens habet determinatam veritatem, quia jam est extra causas, et quando est futura habet determinatam futuritioem juxta determinationem causarum, et non aliter, quia non est extra illas. Aliud est ergo regulari, seu dependere veritatem de futuro a sua de inesse, aliud eodem modo se habere nunc, sicut illa quando est præsens. Non sumitur veritas futura a sua de inesse absolute, et nude, et sub eo modo quo est præsens, sed ab illa, ut adhuc in causis, et postea præsentia.

III. Et cum instatur, quod supposito eventu peccati Petri pro die crastino, qui ante horam, vel diem, vel annum illum pronuntiaret, verum determinate pronuntiabit, quia adæquabitur, vel conformabitur ei, quod in re est, respondetur quod si suppositio eventus est determinata, et habet statum determinatum respectu illius determinationis, pronuntiatio quoque illius determinate erit vera, sed si suppositio eventus non sit determinata, vel si sit, non secundum omnes causas, et status, pronuntiatio quoque determinate vera aut non erit determinata sub eo statu, et secundum illas causas, secundum quas determinata non est. Dicimus quod eventus ille quando est præsens habet statum, et veritatem determinatam, quia jam est in se, et extra causas. Antequam vero sit extra illas, non habet statum determinatum, nisi juxta causas, in quibus fundatur, et continetur, et cum non habeat causas inferiores, et proxi-

mas necessarias, et infallibiles, respectu illarum determinatam veritatem non fundat, in causa vero prima, seu in Deo veritatem determinatam, et infallibilem habet, sed ratione decreti. In se vero abstracto a præsentia extra causas, quam habebit dum existet, et a continentia in causis, quam habet dum est futurum, non fundat aliquam determinatam veritatem, quia prout sic solum consideratur secundum sua prædicata essentialia, et quidditativa, quæ de se non habent connexionem infallibilem, et determinatam cum esse potius quam cum non esse, sed est ad utrumque paratum. Ubi ergo fundatur illa determinata veritas? An sine fundamento est?

IV. Ad confirmationem respondetur ex D. Thoma in i periher. lect. xiii, circa finem, quod in contradictoriis de futuro contingenti est veritas in altero extremo, et falsitas in altero, sed non determinate in isto potius quam in illo, sed in uno tantum disjunctim. Lex enim contradictoriarum, non est quod una sit determinate vera, et altera determinate falsa, sed quod simul non sint veræ, nec simul falsæ, sed si una est vera, altera sit falsa, et e contra. Quod vero una determinate non requiritur, sed una disjunctim; itaque veritas inveniri debet in una solum, non in duabus: cum vero infertur, si in una tantum, ergo determinate, non valet consequentia, sed sufficit, quod in una disjunctim, seu conditionate, aut confuse, id est, quod si una est vera (sub conditione, et in confuso) altera non sit vera, sed falsa.

V. Instabis: Illæ propositiones contradictoriæ non significant quod Petrus peccabit disjunctim, vel in confuso, seu determinate, et assertive dicitur. Petrus peccabit affirmando, et determinate Petrus non

peccabit negando. Unde etiam qui promittunt, vel sponsiones faciunt de futuro, assertive determinant, et ex eventu postea judicamus quod iste qui sic asserebat, vel pro hac parte sponsonem fecit, vicit et dixit verum, ergo determinata veritas illi inerat, quia ipse determinate dicebat, et verum dixit, ergo determinatam veritatem dixit. Nec obstat quod causaliter verificata fuit propositio, non enim agimus de qualitate veritatis, sed de determinatione, undecumque enim verificetur sufficit quod determinate verificetur, sicut determinate affirmatur. Et confirmatur, quia cum Deus dicit futurum contingens, determinate est verum quia est de fide, ut cum dixit Petro: *Ter me negabis*, ergo similiter si idem pronuntiaret homo omni revelatione divina sublata, etiam verum determinate diceret, nec enim potest esse illud objectum pro Deo dicente, et non verum pro homine loquente, locutio enim hominis, vel Dei nihil mutat de objecto, et ita si locutio Dei est circa veritatem determinatam, etiam erit si id pronuntiet homo, et ad idem pertinet, quod veritas non respicit causas, sed solum adæquationem propositionis cum objecto suo, juxta significationem copulæ: sed cum dico: Petrus peccabit, datur determinata conformitas, vel difformitas cum objecto pro eo tempore quo significat copula, scilicet pro tempore futuro, ergo datur determinata veritas, quidquid sit de causis, in quibus modo talis veritas contineatur, propositio enim dicitur vera, vel falsa secundum adæquationem, vel inadæquationem ad res quas significat, non secundum causas, quas non significat.

VI. Respondetur quod ille qui determinate significat eventum de futuro, et assertive, sive affirmando, sive negando, significare dicitur

determinatam veritatem in illa propositione ex parte sui modi significandi, quia affirmando id dicit; ex parte tamen adæquationis ad objectum, talis adæquatio semper manet infallibilis, et indeterminata, quantum est ex natura rei, et ex causis proximis, solumque per ordinem ad causam primam, et decretum Dei qui fecit quæ futura, sunt, dicitur veritas illa determinata. Itaque ex duabus propositionibus contradictoriis, illa propositio quæ assertitur, vel promittitur, alteram tantum significat. Et in hoc casu verum est quod aliquid determinatum, seu determinatam partem significat, id est, neque utramque copulative, neque disjunctim, sed unam tantum. Cæterum quod ista sic significata determinatam habeat veritatem, et in re determinate adæquetur objecto, hoc dicimus non posse stare, si ita determinata adæquatio sumatur ex illa veritate objectiva considerata ex meritis suæ naturæ, vel ex causis, creatis, sic enim dicimus quod non fundat veritatem determinate, sed fallibiliter, et cum contingentia, et indifferentia, atque adeo cum indeterminatione. Si vero determinata veritas datur, est ex determinatione causæ primæ, et in ordine ad ipsam. Et sic nos absolute non negamus dari veritatem determinatam horum futurorum, quæ etiam significari determinate poterit: sed dicimus ex quibus meritis, et qua ratione illi determinatio ista conveniat, cum inveniamus ex aliqua parte, id est, ex se, et ex causis proximis indeterminationem potius, et indifferentiam, contingentiamque fundare, solum vero ex voluntate divina determinationem.

VII. Ad confirmationem respondetur illam propositionem sic prolatam a Christo determinatam habere veritatem determinatione, et adæquatione accepta ex ordine ad cau-

sam divinam decernentem, et facientem futura præsentia, non determinatione accepta ex meritis ipsius entitatis, vel objecti secundum se, vel ex causis inferioribus. Et eodem modo si pronuntiet homo illam propositionem, habebit quidem determinatam veritatem per ordinem ad causam divinam, indeterminatam vero, et contingentem per ordinem ad causas creatas, vel per ordinem ad rem ipsam secundum se. Et ad instantiam de adæquatione propositionis cum objecto suo, respondetur quod ex adæquatione ad rem illam consideratam secundum se, ut modo futura, vel ut subest causis proximis erit adæquatio fallibilis et indeterminata, constat enim quod de se non fundat, nisi incertitudinem, et indifferentiam. Ad illam vero rem, et ad illum eventum consideratum secundum id quod de facto accidit ex determinatione divina determinatam adæquationem habet. Et licet propositio non sumat veritatem ex causis, sed ex ipsa re quæ est, vel non est, tamen ipsa re non datur veritas objectiva, seu esse, vel non esse determinate sine istis respectibus, scilicet ad causam divinam, et ad causas proximas, vel secundum se abstrahendo a causis, et secundum unum respectum fundat determinatam veritatem, non secundum alium, sed manet indeterminata. Et sic ex eodem argumento quia veritas est adæquatio ad rem ut est in se sine attentione seu expressione ad causas, et illa res prout significatur futura non est in se, nisi fallibiliter et contingentem et indeterminatam, ideo de se non fundat, nisi similem veritatem, scilicet indeterminatam, et fallibilem, quia modo cum non sit in se, et extra causas, nondum habet determinare veritatem, nisi prout causæ ipsæ exigunt, vel prædicata intrinseca, et essentialia ip-

sus, et ex nulla parte habet determinationem quantum ad se, nisi ex causa divina. Si autem quando significatur ut futura adæquaretur rei ut in se jam præsentem, et existentem, sed ut contentæ in causa omnino infallibiliter respiciente ejus existentiam sicut est decretum divinum, talis conformatio et adæquatio esset determinata, sed quia adæquatur rei ut in se futuræ, et nondum productæ, nec ut in causis infallibiliter respicientibus esse, ideo illi esse ut in se futuro non conformatur determinate, quia in se determinate non est, sed indifferenter et suspense, præsentem vero ut præsentem conformari non potest quia falsum est, si quidem solum est futurum, ergo illa veritas hoc ipso quod illi esse, ut futuro adæquetur, determinate non potest adæquari, sed cum fallentia suspensiva.

VIII. Secundo, arguunt præfati auctores contra cognitionem futurorum in decreto, ex triplici principio. Primo, quia futura non habent connexionem necessariam cum decreto divino, ergo ex vi illius non potest certo cognosci. Consequentia est manifesta, quia non potest aliquid certo cognosci ex vi alicujus causæ si cum ea necessariam connexionem non habet, demonstratio enim fundatur in causa ex vi connexionis necessariæ, ita quod non stat unum sine alio. Antecedens vero probatur, quia in decreto Dei non est aliud quam substantia ipsa, seu entitas actus, vel respectus rationis ad objecta decreta. Ipsa substantia actus non habet necessariam connexionem cum objecto, quia posset eadem entitate manente non velle objectum, ergo entitas decreti non manifestat objectum necessario. Iste autem respectus rationis non potest manifestare objectum, quia hoc reale est, et per id quod est rationis manifestari non potest,